

per Nov. 117. c. 11. & Auth. Hodie C. de repudiis. ubi sancitur, ut mulier vivum suum tamdiu quamdiu ille vixerit, expectet, nec aliter aut ante nubere possit, etiam si nec literas nec responsum ab eo acceperit, non obstante quancumque longa absentia. Si vero cum mortuum esse audiverit, debet vel per se, vel per suos parentes, vel per alios, Ducem belli, vel militiae charularios accedere, & ab eis juratum testimonium de morte viri afferre.

Porro, forma probandi mortem mariti praescripta in dicta Novella c. 21. & Auth. cit. est per Jus Canonicum correcte, quo potest mariti mors etiam aliis modis quam per Ducem belli, charularios, Juramento exacto, probati, ut paulo ante dictum est.

138. **Quæritur IV.** An tanquam Bigamus puniendus sit, qui duas duxit, sed priorem non cognovit carnaliter, posteriorem vero cognovit. Berlichius n. 56. & Carpovius n. 21. volunt esse puniendum penam stupri, per legem 18. C. ad L. Jul. de adult. ubi dicitur. [ Verunamen, ei qui te, ficto calibratu, cum aliam matrem familias in provincia reliquisset, sollicitavit ad nuptias, etiam crimen stupri, à quo tu remota es, quod uxorem te esse credebas, ab accusatore legitimo solemniter inferetur. ] Ego tamen censo, etalem reverà bigamum esse, & adulterum: nam reverà superinduxit alteram uxorem, & fictum matrimonium perfecit. Neque multum laborandum est in explicanda hac lege, quando res ipsa clara est. Nihilominus brevis & facilis responsio est, quòd lex Julia de Adulteriis verbo *stupri*, indifferenter utatur etiam pro adulterio, ut habetur lege 101. ff. de V. S. & in lege 6. §. 1. ff. eod. expressè dicitur: *Lex stuprum & adulterium promiscuè & abusive appellat.* Itaque in adducta lege sumitur in hac generali significatione, neque tamen negatur, illius casus delictum non esse puniendum penam bigamiae, vel adulterii, ut consideranti facile patet.



## Blasphemia.

### SVMMARIVM.

**B**lasphemia est crimen *Laesæ Majestatis* divinae. Ejus definitio, eod.

An de Essentia Blasphemiae sit, ut verba prolata contineant formalem falsitatem. 140.

An Blasphemia committi possit in Sanctos. 141.

Quomodo differant Blasphemia Hæreticalis, & non Hæreticalis. 142. & seq.

An audientes blasphemiam obligentur ex jure positivo ad corrigendum, vel denunciandum. 144. & seq.

Quæ poena sit blasphemiae statuta Jure Canonico. 146. & seq.

An ad evitandas poenas sufficiat, in continenti revocare. 149.

Quæ poena sint constituta Jure Casareo. 150.

Redarguitur temeritas Carpovii. 151.

Item Fallucinatio Berlichii. 152.

Quid Jure Bavarico constitutum sit. 153.

Conclusio generalis, quam amant Blasphemia. 154.

139. **B**lasphemia est Crimen *Laesæ Majestatis* divinae, opponiturque contrariè *Laudi* divinae. Unde sicut *Laudis* divina non fit propriè nisi vel mentis affectu, vel ore; vel Scripturâ formali vel æquivalenti, (qualis est pictura) ita & Blasphemia, quæ proinde in puro factu non consistit, unde qui criminis compunctus, absque verbis, sicut Judæi Christum, non esset propriè blasphemus, sed sacrilegii teus.

Definitur Blasphemia ex S. Augustino lib. 2. de Moribus. *Manich.* c. 11. *Malum* verbum de Deo dictum: seu ut alii: *Dictum contumeliosum in Majestatem divinam.* In præsentem solum de Blasphemia externa agendum est, quæ sola ad externa Judicia pertinet.

140. **Quæritur I.** An de essentia Blasphemiae sit, ut verba prolata contineant formalem falsitatem. Non esse necesse, ut formaliter falsa sint, hoc est directè difformia obiecto. Nam, ut Theologi advertunt, committitur blasphemiam irreverentem nominando membra Christi, in quibus verbis non apparet formalem falsitatem: item si quis verbis declarat desiderium suum, quo malum vel imperfectionem aliquam Deo desiderat, v. g. dicendo: *utinam Deus esset injustus: utinam nihil sciret de peccatis hominum:* nam hujusmodi verbis convenit tota definitio blasphemiae, cum sint contumeliosum dictum in divinam Majestatem, non minus quam si quis diceret: *utinam Cesar in nihilum redigeretur.* esset utique contumeliosus in Casarem: esto formaliter nihil falsi dixisset. Nihilominus etiam hujusmodi verbis in aliquo sensu potest dici ineffe falsitas, quatenus apud audientes censetur loquens velle indirectè affirmare, Deum, vel Christi membra esse contemptibilia, & à loquente pro talibus haberi, adeoque jam videtur mentale blasphemiam & falsitatem significare. & fortè non plus vult S. Thomas, 2. 2. q. 13. a. 1. in C. & ad 1. & 3.

141. **Quæritur II.** An Blasphemia committi possit in Sanctos. Quando de Sanctis aliquid contumeliosum dicitur cum respectu ad Deum, & quatenus sunt amici & electi Dei, est propriè dicta Blasphemia, quia est ipsius Dei in honoratio, sicut in Concilio Principis quæ tales potest committi Crimen *Laesæ Majestatis*. Quod si vero aliquis dehonoret Sanctum specificativè sumptum secundum aliquas suas excellentias & perfectiones alias, absque respectu & Ordine ad Deum, & per inhonorationem oppositam cultui Divinæ præcisè, esset Blasphemia improprie dicta, ut aliis relatis declarat Palao tract. 17. d. 1. p. 2. §. 1. n. 4. & §. 2. n. 4. Videatur de his Suarez to. 1. de relig. tr. 3. l. 1. c. 5. n. 6. & c. 6. in fine.

142. **Quæritur III.** Quomodo differant Blasphemia Hæreticalis & non Hæreticalis. Hæreticalis esse, quæ expressè hæresin continet: nempe quæ Deo tribuitur, quod ejus Bonitati & Majestati repugnat, vel negat perfectionem, quæ Deo competit, vel tribuit creaturæ, quæ soli Deo propria est. Hæc ergo blasphemiam semper profertur assertivè: neque tamen est necesse, eam profertur animo hæretico, ut dicatur blasphemiam hæreticalis, quamvis in sero externo præsumatur tali animo prolata, nisi ex circumstantiis aliud colligi possit, quia v. g. ex animi perturbatione procul, quod Judicis arbitrio committendum monet Farinacius lib. 1. q. 20. n. 38.

143. Hinc constat, quænam sit blasphemiam non hæreticalis, nempe quæ nihil fidei contrarium formaliter & directè significat, v. g. imprecatio mali, irreverens nominatio in contemptum divinæ Majestatis. Unde inferunt DD. non fore blasphemiam hæreticalem, imò nullam, si quis dicat v. g. *Tam verum hoc est, quam verè existit Deus in Cælo:* si non profertur animo æquiparandi omnimodè certitudinem unam cum altera, quasi affirmando, unam alteram non esse majorem, aut dignam firmiore assensu, sed solum ad aliquam similitudinem tribuendam, prout communiter solet ab hominibus non male mentis profertur, dum dicunt. *Quam verè Deus vivit.* Aliud enim reipsa non intendunt dicere, quam rem sibi esse certam instar metaphysicæ evidentiae, & se experti necessitatem omnimodè.

144. **Quæritur IV.** An audientes blasphemiam habeant ex jure positivo aliquam obligationem corrigendi blasphemum, etiam absque spe emendationis: item obligationem denunciandi. Dixi: *ex jure positivo.* Nam esse obligationem Charitatis naturalem corrigendi correctione fraternali, si sit spes emendationis, est certum. Ad Quæsitum respondendo sciendum est, in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. sic statutum esse. *Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter verbis oburgare teneantur, sicut periculum suum id fieri posse continget.* Quibus verbis videtur amplius quid, quam meta fraternali & suavis correctio præcipi in reparationem læsi divini honoris, etiam absente spe emendationis. P. Castro Palao §. 4. n. 3. ait, dubium esse, an sit lata nova lex ultra legem naturalem. Posito autem quod sit lata, censet, absente spe emendationis, decernit hoc consuetudine approbatum esse, nec audientes adstringi nisi lege charitatis, & cum spe fructus, quod etiam docent Azor, Sanch. Bonacina apud eundem.

145. In eodem Concilio & decreto mandatur audientibus, ut intra triduum blasphemantem denuntient, alioquin poenis blasphemorum subdendos. Fatentur tamen DD. præmittendam esse correctionem fraternali, quæ si emendatur blasphemus, non erit opus denuntiatione, si enim finis emendationis obtineri potest suavis & extra-judiciali remedio, non licet ad iudicialia procedere, quia emendandus est proximus cum minori quàm fieri potest, offensa & detrimento. Quod si blasphemiam est hæreticalis, denuntiatio faciendâ est Inquisitoribus hæreticæ pravitatis: si non est hæreticalis, tunc si blasphemus est laicus secularis, delictum est mixti fori, & potest denuntari vel Episcopo vel Magistratui seculari, cum jure preventionis.

146. **Quæritur V.** Quæ poena sit in blasphemos Jure Canonico statuta. Eas varias esse, sed Suarez l. 1. c. 7. n. 3. ait, illas non esse iuste receptas: quod tamen an sit universum verum, alii seiverint: si ergo poena hæc Judicis Ecclesiastici arbitrio relicta sit, pro ejus informatione expedit nosse, quid olim statutum fuerit, ut inde cognoscere possit, quo rigore possit procedere.

Pius I. Ut refertur in can. si quis per capitulum. 22. q. 1. sancivit, ut blasphemans in Ecclesiastico ordine constitutus deponatur: laicus anathematizetur. Hanc poenam mitigavit postea Greg. IX. in cap. 2. de Maledicis. Decernens, ut si blasphemans à Jure Ecclesiastico deprehenditur, pluribus diebus Dominicis sine vestibus debeat poni ante januam Ecclesiarum, cum

dam ad asserendum, sicut ad asserendam vitam Dei.

144. **Quæritur IV.** An audientes blasphemiam habeant ex jure positivo aliquam obligationem corrigendi blasphemum, etiam absque spe emendationis: item obligationem denunciandi. Dixi: *ex jure positivo.* Nam esse obligationem Charitatis naturalem corrigendi correctione fraternali, si sit spes emendationis, est certum. Ad Quæsitum respondendo sciendum est, in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. sic statutum esse. *Quicumque blasphemantem audierint, eum acriter verbis oburgare teneantur, sicut periculum suum id fieri posse continget.* Quibus verbis videtur amplius quid, quam meta fraternali & suavis correctio præcipi in reparationem læsi divini honoris, etiam absente spe emendationis. P. Castro Palao §. 4. n. 3. ait, dubium esse, an sit lata nova lex ultra legem naturalem. Posito autem quod sit lata, censet, absente spe emendationis, decernit hoc consuetudine approbatum esse, nec audientes adstringi nisi lege charitatis, & cum spe fructus, quod etiam docent Azor, Sanch. Bonacina apud eundem.

145. In eodem Concilio & decreto mandatur audientibus, ut intra triduum blasphemantem denuntient, alioquin poenis blasphemorum subdendos. Fatentur tamen DD. præmittendam esse correctionem fraternali, quæ si emendatur blasphemus, non erit opus denuntiatione, si enim finis emendationis obtineri potest suavis & extra-judiciali remedio, non licet ad iudicialia procedere, quia emendandus est proximus cum minori quàm fieri potest, offensa & detrimento. Quod si blasphemiam est hæreticalis, denuntiatio faciendâ est Inquisitoribus hæreticæ pravitatis: si non est hæreticalis, tunc si blasphemus est laicus secularis, delictum est mixti fori, & potest denuntari vel Episcopo vel Magistratui seculari, cum jure preventionis.

146. **Quæritur V.** Quæ poena sit in blasphemos Jure Canonico statuta. Eas varias esse, sed Suarez l. 1. c. 7. n. 3. ait, illas non esse iuste receptas: quod tamen an sit universum verum, alii seiverint: si ergo poena hæc Judicis Ecclesiastici arbitrio relicta sit, pro ejus informatione expedit nosse, quid olim statutum fuerit, ut inde cognoscere possit, quo rigore possit procedere.

Pius I. Ut refertur in can. si quis per capitulum. 22. q. 1. sancivit, ut blasphemans in Ecclesiastico ordine constitutus deponatur: laicus anathematizetur. Hanc poenam mitigavit postea Greg. IX. in cap. 2. de Maledicis. Decernens, ut si blasphemans à Jure Ecclesiastico deprehenditur, pluribus diebus Dominicis sine vestibus debeat poni ante januam Ecclesiarum, cum

correcta ligata ad gulam (quod intelligendum de laico seculari) dum Missa cantatur; & impo-  
natur; jñmum septem dierum in pane & aqua: si  
autem à Seculari Judice: debeat condemnari in  
40. solidis, si quidem sit dives, secus juxta blas-  
phemantis facultates.

147. In Concilio Later. sub Leone X. An-  
no 1514. in hæc ferè verba disponitur: ut qui-  
cunque Deo palam, seu publice maledixerit,  
contumeliosus ac obscenis verbis Dominum  
nostrum Jesum Christum, vel Gloriosam Virgi-  
nem Mariam ejus genitricem expresse blasphem-  
averit, si munus publicum jurisdictionemque  
gesserit, perdat emolumenta trium mensium di-  
cti officii pro prima & secunda vice: si tertio de-  
liquerit, eo ipso privatus existat. Si Clericus  
fuerit, eo ipso quod de delicto convictus fuerit,  
etiam beneficiorum, quæcunque haberit, fru-  
ctibus unius anni mulctetur, & hoc pro prima  
vice. Pro secunda vero, si unicum habuerit be-  
neficium, eo privetur. Si autem plura, quod  
Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Pro  
tertia vero vice dignitatibus ac beneficiis omni-  
bus, quæcunque haberit, eo ipso privatus exis-  
tat, sed ea ulterius retinenda inhabilis redda-  
tur. Laicus autem blasphemus si Nobilis fuerit,  
pro prima vice mulctetur penâ 25. Ducatorum:  
pro secunda vice mulctetur in duplum: pro ter-  
tia vero Nobilitatem perdat. Si verò ignobilis  
& plebejus fuerit in carcere deturatur pro pri-  
ma & secunda vice: pro tertia autem vice mit-  
tatur infamiam ante fores Ecclesie per integrum diem  
mitratus stare cogatur. Si verò ultra tertiam vi-  
cem pluries blasphemaverit, ad perpetuos carceres  
vel ad trimeres damnetur, Judicis arbitrio.  
Qui verò Sanctos reliquos blasphemaverit, ar-  
bitrio Judicis, rationem personarum habituri, mi-  
tus aliquantò puniatur.

148. Hanc Leonis Constitutionem Pius  
V. Anno 1566. non solum confirmavit, sed  
insuper addidit, ut Laicus pro blasphemia in De-  
um, Jesum Christum, ac ejus Sanctissimam Vir-  
ginem Mariam commissa, pro prima vice penâ  
25. Ducatorum, pro secunda penâ 50. pro ter-  
tia penâ 100. Ducatorum, juncto exilio & in-  
famia puniatur. Si verò is solvendo non sit, &  
Plebejus fuerit, pro prima vice manibus post  
terga ligatis ante fores Ecclesie per diem inte-  
grum constituitur, pro secunda fulguretur, pro  
tertia, lingua perforata ad trimeres transmitta-  
tur. Clericus autem pro prima vice fructibus  
unius anni, pro secunda beneficiis ipsis prive-  
tur, pro tertia deponatur, & in exilium mit-  
tatur. Si verò beneficium non habeat, pro prima  
vice penâ pecuniaria vel corporali puniatur, pro  
secunda carceribus mancipetur, pro tertia verba-  
liter degradetur, & ad trimeres mittatur. Pro

blasphemia verò in Sanctos pro qualitate blas-  
phemiæ & personæ, arbitrio Judicis puniatur.

149. Queritur VI. An ad evitandas  
penas blasphemæ sufficere, si in continentibus, verbo  
vel facto revocetur, v.g. tundendo pectus in-  
gemiscendo, clementiam Dei implorando &c.  
Affirmativè: nam ex hujusmodi signis bene  
colligitur, ex motu indeliberato animi, & lingua  
lubricitate sermonem blasphemum profectum  
esse.

150. Queritur VII. Quæ penâ Jure Ci-  
vili & Cæsarco sint in blasphemos constituta.  
In hoc puncto multum fuisse variatum. No-  
vellâ 77. c. 1. §. *præcipimus*, ultimo supplicio puni-  
untur, quæ tamen penâ postmodum moribus  
abrogata est, & in Regno Neapolitano, Hispania,  
Gallia, Italia, arbitraria evasit, & teste Zasio penâ  
capitis de consuetudine non intelligitur, nisi  
blasphemia esset magna & enormis, quæ ex de-  
liberato, maligno, & doloso proposito, & ore  
exerabili ad pernitiosum exemplum proferatur,  
cujus enormitatis horridas blasphemias penâ  
capitis in Saxonia puniatis refert Carpovius à  
n. 18. quas nec referre solumus. Audiamus Ju-  
lium Clarum, quid de hac consuetudine sentiat  
sic inquit. [Sed hæc est pessima consuetudo [ad  
est, non puniendi penâ capitis] & judicio meo gravi-  
ter peccant Principes Christiani, & eorum Magi-  
stratus, qui hoc crimen severissimè non puniunt.  
Et in hoc Respublica Christiana magnâ indige-  
ret reformatione] sed in Imperio jam est facta re-  
formatio, ut mox videbimus.

Itaque post varios Imperij Recessus circa  
hanc materiam, denique illis vel reformatis vel  
abrogatis, quoad hoc punctum, in Recessu Augusti,  
de anno 1548. ita constitutum est. [Si quis ca-  
juscunque conditionis aut dignitatis vel status,  
deinceps Deo attribuerit, quod ipsius divinæ  
Majestati aut Omnipotentie non conveniat, vel  
verbis id quod Deo convenit, abnegare velit,  
v.g. quasi Deus aliquid non possit, aut non esset  
jultus, vel similia verba contumeliosa, & tene-  
raria blasphemia immediate in vel contra Deum,  
ejusdem Sanctissimam humanitatem, aut divina  
Sacramenta protulerit, is vel penâ mortis, vel  
amputatione membrorum, prout considerata  
qualitate personæ & blasphemie, & Jurium con-  
stitutionibus conveniet, puniendus erit. Si  
blasphemia commissa duæ aut plures personæ  
interfuerint, qualibet illarum teneatur delictum  
Magistratui illius loci ad minimum intra proxi-  
mos sequentes octo dies denuntiare, & simul in-  
dicare, quis alius interfuerit, & blasphemum  
audiverit: hos, si non ipsi blasphemiam indica-  
verint, Magistratus ad se clam vocabit, & in quæ-  
sitorum alij absentibus examinabit, an blas-  
phemia audiverint, & Imperium omnes circum-  
stantias

stantias rei veritatem investigabit &c. Deinde  
subjungit, illos, qui non manifestant, esse  
penâ arbitraria subiectos: quibus tamen injun-  
gitur, ut antequam denuntient, blasphemum  
amicè dehortentur, & rogent ut abstineat, ne sit  
necessitas eum Magistratui denuntiandi.

151. Et hæc quidem statuta sunt circa  
blasphemias immediate in Deum. Postea subjun-  
gitur de Blasphemia in Sanctissimum Dei Matrem  
& alios Sanctos, quam Constitutionem audeat  
carpere Carpovius, n. 72. quod ex mente Pontifi-  
corum Sanctus cultus & honor Divinus debeatur, quod  
est mendacium tam palmarium, ut Carpovius  
illius merito pudere debeat, sicut, & quod Impera-  
torem suum (quem ipsemet paulò ante piffi-  
mum vocaverat) audeat indirectè arguere. Ido-  
lelatricæ, & Blasphemum vocare num. 73.  
dum ipse omnes Pontificios Blasphemos vocat  
ob cultum Sanctorum. Audiamus Constitutio-  
nem.

152. Si quis Matrem Christi Salvatoris no-  
stri vel Sanctos Dei temerè NB. blasphemaverit,  
primâ vice amicè moneatur ut abstineat,  
quodsi non fecerit, abque mora indicetur, ut  
suprà dictum, & reus in corpore vel bonis pro  
conditione personæ & blasphemie à competen-  
te Magistratu puniatur, & consideratis circum-  
stantiis &c. penâ angeatur vel minuatur. Et  
hæc retuli in supplementum eorum, quæ Carpovius,  
alique ejusdem cum ipso fidei, deprava-  
runt, inter quos est Berlichius, qui n. 34. satis  
ineptè negat, in Sanctos committi blasphemiam,  
quoniam, inquit, per hoc blasphemiam committere-  
mus si honorem Deo debitum ei adimeremus, & alij  
Sanctis tribueremus. quasi verò aliquis esset in  
mundo, qui cultum soli Deo debitum Sanctis  
tribueret. Et subjungit n. 35. [Unde patet, quod  
multò minus blasphemiam committatur, si quis  
imagines, statuas, & alia simulachra Sanctorum  
lædat, percutiat, & omnino templis ejiciat, pro-  
pterea quod ejusmodi simulachra in peccatum &  
Scandalum populi à Pontificibus contra Dei præ-  
ceptum (siclicet) sint excogitata.] Hæc ille Hæ-  
reticus hæreticè. Sutor ultra crepidam. Saniore ju-  
dicio sibi sequentia. Bene tamen, inquit, fateor,  
si quis contumeliosum quoddam in Sanctam  
Mariam, vel alios Sanctos proferat, per quod  
eorum memoria obscuratur, auctoritas labefa-  
ctetur, & Scandalum oriatur, quòd is merito ex-  
tra ordinem arbitrio Judicis puniri possit. *Eleganter*  
*propter Farin. tr. crim. q. 20. n. 27.* nisi conviti-  
um tale sit, per quod enormiter Dei Majestas læ-  
datur, puta, si quis Sanctam Virginem ejus Ma-  
trem proclamet Meretricem, hoc enim & simili  
casu, cum Majestas & persona Christi admodum  
horrendè offendantur, & is per indirectum pro-  
spurio proclametur, meritò is penâ ordinariâ

in blasphemos sancita puniri debet. Idem fla-  
ruo, si quis per beatissimam Virginis Mariæ mem-  
bra pudibunda, puta anum, podicem, mamillas,  
& similia jurat.] Hæc ille.

153. Jure Bavarico Ord. Pol. lib. 5. a. 1.  
pro Nobilibus statuitur penâ pecuniaria arbitra-  
ria, pauperibus applicanda, pro plebejis alia  
penâ ibidem, pro diveritate delicti, sunt consti-  
tuta. Scio tamen, hic Ingolstadtij blasphemum  
capite plectum esse ob enormem blasphemantis  
malitiam, dum cymbalum pullantem insecutus  
per Sacramenta continenter blasphemavit, &  
Deum injustum esse dixit. Ceterum, penâ hu-  
jus delicti 20. sept. anno. 1635. per singulare Decretum  
seu Novellam Constitutionem aliquantò  
acrius repetita est, ut refert Kaiffler, quam Con-  
stitutionem non habeo ad manus.

154. Concludamus ergo, omnes illos  
blasphemos, & quidem immediate in Deum,  
qui negant, Sanctis, Dei amicis, illum cultum  
deberi, quem sciunt, aut scire deberent, à Deo  
per universum terrarum orbem infinitis, & quo-  
tidianis miraculis approbati, adeo claris, ut ca-  
nemo, nisi ipso Deo invero invecundior negare  
possit; quia hoc ipso dicunt, Deum in approban-  
do errare, quæ utique est blasphemiam.

## Calumnia.

## SUMMARIUM.

Calumnia Juridicè sumpta quando committitur,  
155.  
Penâ Calumniantium est arbitraria. eod.

155. Calumnia Juridicè committitur, quan-  
do aliquis alium malitiosè & scienter  
in Judicio accusat & desert de rebus falsis: item  
quando quis in Judicio conatur sustinere tan-  
quam verum, & æquum, quod scit, aut scire de-  
beret esse falsum & iniquum, & ideo soler à liti-  
gantibus exigi Juramentum calumnia 3 de quo  
ex professo actum est como precedente. Item  
quando quis dissimulat, subicit, & non vult  
proferte in Judicio crimen, quod punitioni sub-  
jectum est. L. 1. §. 13. ff. ad S. C. Turpill. [In-  
cidit in hoc senatus consulto & qui acculatorum  
submitit, aut instigat, aut qui mandat alicui, &  
instruit eum ad accusationem capitalem, dando  
probationes, allegando accusationes: & meritò.  
Nam desiciente crimine quod mover, & exi-  
mendo se periculo calumnie vel desentionis, me-  
ritò calumniantis & desistentis penâ subdici

(pena subijci) debuit, nisi subornatus accusator probaverit crimen quod intendere suscepit.]

Pœna calumniarum est arbitraria, pro discretionem Judicis, attentâ qualitate personarum, & enormitate vel levitate calumnie, & damni, ac motivi quo quis inductus est ad calumniandum.

Concubinatus. Vide. *Fornicatio.*

Concussio. *Corruptio.*

SVMMARIVM.

Concussionis crimen quando committatur à Judice. 156.

Pœna ejusdem est arbitraria. 157.

Quomodo Concussio differat à Corruptione. 158.

156. Concussionis crimen committitur, quod sub pretextu & titulo officii & dignitatis, cum aliquo de justitia ferenda aut non ferenda, aut male ferenda componitur, & cum coactus aliquod pecuniarum hac de causa inquit. Itaque hoc crimen directè ad Judicem spectat, qui dicitur tali sollicitatione ad corruptionem sui partem litigantè concutere, minis aut persuasionibus inducendo, ut ab ea munus aliquod extorqueat, in hunc finem, ut in favorem ipsius aut citius, aut tardius, aut omnino non, aut aliter quam merita causæ requirunt, judicet. Idem crimen committunt alii Officiales, qui habent commissionem aut executionem sibi demandatam, & paciscuntur cum parte, ut accepto certo pretio in executione parcant. Item alii, de quibus Jura jam referenda.

157. Pœna hujus delicti est arbitraria, secundum Judicis prudentiam, pro modo delicti. l. 1. ff. de Concussione. [Si simulato Praefidis jussu concussio intervenit, ablatum hujusmodi terrore restitui Praefes provinciae jubet, & delictum coercet.] l. 2. eod. [Concussionis judicium publicum non est, sed si ideo pecuniam quis accepit, quod crimen minatus sit, potest judicium publicum esse, ex senatusconsultis, quibus pœna legis Corneliae teneri jubentur, qui in accusationem innocentium coterint, quive ob accusandum vel non accusandum, denuntiandum vel non denuntiandum testimonium, pecuniam acceperint.] Unde habetur, quod tales puniri possint ut fallarii & calumniatores. Huc maxime facit *aut. C. de Pœna Judic. qui malè.* [Novo jure, qui dicit, se dedisse aliquid, vel promississe, & personam declaraverit, & hoc probaverit, ve-

niam meretur. Sed qui accepit, vel promissionem suscepit, si causa pecuniaria sit, dati tripulum, promissi duplum, à comite privatarum rerum exigatur, dignitate, seu cingulo amisso. Si verò criminalis causa fuerit, confiscatis omnibus bonis in exilium mittatur. &c.] l. 2. cod. [De eo qui pretio depravatus aut gratiâ perperam judicaverit, ei vindicta, quem laeserit, non solum æstimationis dispendii, sed etiam litis discriminis præbeatur.]

His consonat Jus Canonicum c. 1. de sent. & re jud. in 6. ibi. [Si quis autè Judex Ecclesiasticus, ordinarius aut etiâ delegatus fama suæ prodigus, & proptij persecutor honoris, contra conscientiam, & contra Justitiam in gravamen partis alterius in judicio quidquid fecerit per gratiâ, vel per sordes, ab executione officii per annum noviter sit suspensum, ad æstimationem litis parti quam laeserit, nihilominus condemnandus &c.]

158. Concussio & Corruptio differunt in eo, quod Concussio habeat originem à Judice, ut jam explicatum est, Corruptio verò ab eo qui sponte ad corrumperendum munera offert, & ideo concussio est gravius delictum, sed tamen etiam corruptio graviter punitur in eo qui se corrumperit, ut patet ex iuribus jam relatis, & insuper ex toto titulo *C. de Leg. Jul. Reperitur.* Sed quia de his plura dixi tomo præced. tr. 2. de Oblig. Judicum, ideo hic plura non addo, præsertim cum hodiernis moribus hæc pœna non sint in usu, quamvis prohi dolor, in usu sit Corruptio, ut etiam conqueritur de suis temporibus Damboederus, non malè huc trahens. *versiculum. Dat veniam corvis. vexat censura columbas.*

Diffidatio.

SVMMARIVM.

Quid sit Diffidatio, juridicè loquendo. 159.

Quomodo differat à Violatione Pacis publicæ. eod.

An is qui diffidatur, possit esse persona singularis & privata. 160.

Quid sit Scopelismus. 161.

Non omnis diffidatio est injusta & prohibita. 162.

Si diffidator est subiectus Imperio, debet habere facultatem ab Imperatore. 163.

An incurratur hoc crimen per Diffidationem conditionatam. 164.

An, qui solum minatur coetum genus damni. 165.

An diffidatio sit species violatæ pacis publicæ. 166.

Quæ pœna sit Diffidatoribus constituta. 168.

An eas incurrat, qui diffidationem statim revocat. 169.

169.

Quæ pœna eosdem teneat ut violatores Pacis publicæ.

170.

An hæc pœna transeat ad hæredes, reo ante litem contestatam mortuo. 171.

Quando hæc pœna recipiant moderationem. 172.

Quomodo puniendi, qui solum verbis minacibus usunt. 173.

173.

159. Diffidare Juristis est: Inimicitia denuntiare, bellum indicere, hostem declarare. Is qui denuntiat, Diffidator, cui denuntiat, diffidatus dicitur. Hinc Diffidatio definitur denuntiatio animi hostilis, quæ quis alicui significat, se eum armis, igne, spoliis, rapinis persecuturum. Et quia aliqui putabant, factâ tali denuntiatione postmodum sibi licitum esse exequi diffidationem, ideo Carolus IV. in antea Bulla c. 17. sic statuit: [eos, qui de cetero aliquos intempèstivè diffidant, declaramus, damna quæcumque per incendia, spolia, vel rapinas diffidatis ipsis inferre non posse, & factas vel faciendas diffidationes impoiterum non valere, nec licite pretextu diffidationis, cujuslibet quempiam injudi per incendia, spolia, vel rapinas.]

Differit ergo Diffidatio à Violatione Pacis publicæ, quia hæc fit præsentis & flagrante armatâ vi, & est potius executio diffidationis, quamvis etiam nullâ præcedente diffidatione fiat.

160. Queritur, an is qui diffidatur, possit esse persona aliqua singularis & privata. Negat VVesenbergius & Berlichius concl. 22. Affirmat Bocerus. Negantium fundamentum est, quod Diffidatio debeat differre à Minis seu Minutionibus: non videtur autem esse alia differentia, quam quod diffidentur communitates, minutiones autem fiant privatis. Verum, affirmantes aliud discrimen invenerunt, idque colligunt ex Bullæ aureæ verbis, quod diffidatio sit minutio armorum, ignis, spoliatorum, rapinarum, minutio autem aliorum damnorum, vel incommodorum, sed hæc est lis de nomine, & absque utilitate.

161. Diffidationi non absimilis est Scopelismus, de quo est lex 9. ff. de extraord. criminib. [Sunt quedam quæ more provinciarum coercionem solent admittere, ut puta, in provincia Arabiæ Scopelismus, id est lapidum positionem crimen appellant: cujus rei admittum tale est: plerique inimicorum solent prædium inimici scopelizare, id est, lapides ponere, indicio futuros, quod si quis eum agrum coluisset, malo letho periturus esset, insidiis eorum qui scopulos posuissent: quæ res tantum timorem habet, ut nemo ad eum agrum accedere audeat, crudelitatem timens eorum, qui scopelismum fecerunt:

hanc rem Praefides exequi solent graviter, usque ad pœnam capitis, quia & ipsa res mortem committatur.]

162. Non omnis Diffidatio est prohibita, seu injusta. Aliquando enim & frequentissime fit lege permittente: nempe quando subest iusta causa bellum gerendi, iusta quoque est Diffidatio, adeo ut ipsi illationi belli sit necessariò præmittenda, ut tradunt communiter DD. & ratio est, quia iudicio belli ad hoc tendit & servit, ut si ad versarius suæ causæ diffidat, possit tractare cum diffidatore de pacis conditionibus: quod tamen intelligo, nisi quis adeo graviter & injustè læsus esset ab altero, ut si diffidatio actualem aggressionem præcederet, nulla spes esset, recuperandi damni. Unde & Jura permittunt injustè spoliato propria auctoritate, & in continenti aggredi spoliatorem, & possessionem recuperare, ut diximus agentes de Possessione recuperanda.

163. Ut autem bellum sit iustum, & per consequens licita Diffidatio, requiritur insuper, ut, si diffidator est subiectus Imperio, habeat facultatem ab Imperatore, alioquin incidit in crimen læsæ Majest. l. 3. ff. ad L. Jul. Majest. ibi. *Eadem lege tenetur, qui injussu Principis bellum gesserit.* Sed subintelligendo exceptiones quæ habentur in Ord. Crim. Caroli. 129. nempe si quis suo fuorumque hosti bellum seu diffidationem inferat, aut aliam justam diffidationis causam habeat, eo quod vis vi repellenda sit. Quas tamen restrictiones non de persona privatis, sed de publicis, puta Principibus, & aliis quibus merum Imperium, & alia regalia competunt, accipiendas esse monet Berlichius n. 25. Verum, in præsentem non est agendum de Diffidationibus iustis, sed de injustis. De quibus

164. Dubitatum est, an ad hoc ut Diffidator incurrat pœnas Diffidatoribus statutas, & postea referendas, debeat Diffidatio esse facta absoluta, vel an etiam sufficiat, factam esse conditionatè: v. g. nisi Diffidatio hoc vel illud præstiterit. Negatur sufficere conditionatè factam aliqui apud Berlich. concl. 22. n. 22. quia conditio suspendit actum, & nihil in esse ponit. Sed Scabini Saxonicæ pronuntiant contrarium, & merito, nam plerumque solent fieri sub hujusmodi conditionibus, & ideo de his quoque sunt intelligendæ constitutiones. Præterea, conditio adjecta non est in potestate diffidantis, sed conjicitur in potestatem diffidati: ergo quantum est ex parte diffidantis, jam est absoluta. Uno verbo, eadem mala imminet Republicæ ex tali licentia diffidandi, quæ imminet, si nulla conditio apponatur. Porro, conditio adjecta suspendit quidem actualem hostilitatem, sed non suspendit minas, seu ipsam diffidationem:

atque

atqui sunt diversæ pœnæ impostæ diffidationi, & ipsi actuali hostilitati, rapinæ, incendiis &c.

165. **Quæritur nunc I.** An reus diffidationis habendus sit, qui præcisè alteri certum genus damni minatur, v.g. dicendo, aut scribendo, quod velit illum globo traficere. Vel: quod velit illi rubrum gallum (idest ignem) in domo collocare. Respondent DD. Negative. Quia Diffidatio debet generaliter mala quæcunque hostilia minari, alioquin habenda sunt illa dicta pro minis, & non pro diffidatione, nec ut talis puniatur.

166. **Quæritur II.** Utrum Diffidatio sit species violatæ pacis publicæ. R. Ex communibus DD. Affirmative. Nam pax publica violatur per arma bellica, atqui qui Diffidando alteri bellum minatur, licet actu non inferat arma, turbat tamen pacem per denuntiationem armorum & belli, & per præparationem eorum, quæ ad invadendum sunt utilia. Ergo saltem talis diffidatio rectè censetur violatio publicæ pacis.

Confirmatur à Bocero. Quia Constitutiones Imperii de Pace publica sunt etiam nominatim conceptæ de Diffidationibus: ergo supponunt, quod per Diffidationes pax publica turbetur & violetur, & diffidatores pro talibus violationibus puniendi sint.

167. Solum obijci posset, quod ad Violationem Pacis publicæ videantur constitutiones requirere vim armatam. Atqui Diffidatio non est vis armata, sed solum minatio vis armatæ. Ad hoc tamen responderet, intentionem illarum Constitutionum esse, absterere à terrore illo subditorum, qui per vim armatam actualem inferunt: cum ergo per diffidationem sæpe non minor terror & sollicitudo incutatur, ex intentione Constitutionum per vim armatam etiam Diffidatio comprehenditur, ob rationes allatas, & ita ferè respondet Gilhusius n. 7. in fine.

168. **Quæritur III.** Quæ pœna sit Diffidatoribus injuncta constituta. R. In Ordinatione Criminali Carolina est ultimum supplicium, a. 129. his verbis. *Quicumque alium contra jus & æquitatem protèrè diffidaverit, gladio puniatur.*

Hæc pœna postmodum in Constat. Rationibus Anno 1794. promulgata, extensa est ad illos, qui litteras diffidationum scribunt vel concipiunt: ibi. qui litteris diffidatoris scribendis operam suam præstant, non minus quam ipse diffidator secundum Juris Ordinationem irreversibiliter puniantur. Excipiendi tamen sunt, quos etatis imprudentia excusat. Extenditur insuper eadem pœna ad Complices, rec-

ptatores, & adherentes. *Recess. Imper. Augustæ 1755.*

169. **Quæritur IV.** Si quis litteras diffidatorias expedit, imò forte jam jam affixit, sed penitentia ductus easdem revocat, an nihilominus ordinariæ pœnæ plestendus sit. Idem quæritur de eo, qui signa diffidatoria, qualia solent alicubi esse scopæ, titiones, appenderit, sed penitentia ductus ea repetit. In hoc puncto variant DD. & aliqui volunt inter utrumque casum discrimen facere. Verum, si eorum mens spectetur, non dissentiunt, & hæc ratione conciliari possunt. Vel ex tali affixione aut destinatione nata & inducta jam est turbatio in diffidato, vel vicinia, vel non. Si primum, jam delictum est consummatum in ea ratione, qua differt à delicto actuali hostilitatis, incendiis v.g. ac proinde per penitentiam non potest fieri infectum. Secus, si nulla adhuc turbatio causata est, ob rationem contrariam, & hoc solum probant argumenta Berlichii.

170. **Quæritur V.** Quam pœnæ possint imponi Diffidatoribus, quatenus sunt Rei fractæ pacis publicæ, ut supra dictum. Ad hoc respondet Bocerus c. 6. n. 17. in Judicio Camera Imperialis vel Cæsareæ Majestatis decerni Imperii Bannum, item pœnam pecuniariam ducentarum Marcarum parti auri ac privilegiorum amissionem, quia hæc pœnæ constitutæ sunt in pacis publicæ fractores. Existimant aliqui cum Andrea Gail lib. 1. de pace pub. c. 20. n. 17. & 19. Pœnam pecuniariam esse postmodum auctam, ut hodie sit duorum millium marcarum auri parti, per recess. Imper. 1548. Verum, Bocerus observat, illam constitutionem non loqui de pœna frangentium pacem publicam, sed de pœna Statuum Imperii, qui se in conservanda pace publica negligentes exhibent. Porro, pœna illa pecuniaria cedit partim Fisco, partim actori seu parti læsæ, ut habet Gail lib. 1. c. 15. n. 23.

171. Circa hæc pœnam pecuniariam quæsitum est, an illa transeat ad heredes rei, etiam si reus ante litem contestatam mortuus sit. Pro affirmativa citat Bocerus Andream Gail. l. 1. de pace pub. c. 20. n. 20. (volebat citare n. 17.) Verum, Gail non satis clare dicit; si mortuus sit ante litem contestatam; sed: *litem pendente*, quod intelligi potest, post litem contestatam. Ex rationibus tamen ab eo allatis videtur fuisse in affirmativa sententia; nempe quia pœna quoque hæredem afficit, quando ipso Jure est imposta; & quia tunc non agitur ad impositionem pœnæ, sed ad pœnam à Jure impostam exigendam, & ideo merito ad hæredem transit, etiam nihil ad eum pervenerit, prout etiam tanquam communem regulam tradit Ferdinand. Vasq. l. 3. q. 11. l. 1. c. 96. n. 22.

Nega-

## Falsum.

## SUMMARIUM.

**Quando committatur crimen Falsi, & quæ ad illud requirantur.** 174. & 179.  
**In quibus casibus commissum puniatur.** 177.  
**Quenam sit pœna Falsariorum.** 178.  
**An & quomodo possit committi falsum in persona.** 179.  
**An & qualis falsitas committatur verbis.** 180.  
**An restis pecuniæ conductus ad dicendam veritatem adhuc committat crimen Falsi.** 181.  
**An puniendus, qui judicialiter dicit contrarium illi quod extra judicialiter dixit.** 182.  
**Quidsi Juxta malitiosè falsum ferat sententiam.** 183.  
**An & quomodo scripserit possit committi crimen Falsi, ad incidendum in pœnam legis Corneliæ.** 184.  
**An & quomodo committatur crimen Falsi abusu.** 187.  
**An utendo falsis testimoniis aut instrumentis.** 186.  
**Discrimen inter utentem & fabricantem falsum instrumentum.** eod. & seq.  
**Quid præsumendum de utente instrumento falso, sed ab eo non confesso.** 188.

174. **Falsi crimen in genere committitur** dicitur, qui rem aliquam externo quodam & apparente furo adulterat, & ad deceptionem corrumpit. quod in lege 33. ff. ad L. Corn. de falsis. per exempla declarat. [Quid sit falsum quæritur, & videtur id esse, si quis alienum chirographum imitatur, aut libellum vel rationes interdicat, vel describat: non qui aliàs in computatione vel in ratione mentiuntur.] Et quia de hoc crimine exstat allegatus titulus, hinc DD. in genere dicunt, illud esse Crimen Falsi, quod lege Corneliæ de falsis coercetur: idque desinit Carpovius, *Dolosam veritatis immutationem in alterius præjudicium factam*: & ad hoc tria requiritur ait. Primum est, Dolus. l. 27. C. eod. ibi. *cum non nisi dolo malo falsum committentes crimini subijunguntur.* Nec sufficit dolus præsumptus, sed requiritur probatus: potius enim errore præsumitur factum, quam animo decipiendi: ut præsumit Imperator in l. 5. C. de his qui sibi adscribunt in testamento. ibi. *Pœna legis Corneliæ tibi remittitur, in quam credo te magis errore quam malitiâ incidisse.*

175. Secundò, requiritur Veritatis immutatio. Unde apparet, quare in Lege 23. paulò antè relata, dicatur, crimen falsi committi ab eo qui faciendo rationem & computationem, ratio-

N ncm

nem ipsam mutat, non tamen illum, qui asserit, tantum esse summam in computo, v.g. 100. si cum tamen sit minor, vel major summa; talis quidem dolum committit, quia mentitur, sed veritatem non immutat, quia mendacium eius deprehendi potest calculando. Aliud exemplum, quo dolus non constituit crimen falsi, est, si quis dolo malo testatur aliquid, quod ipse per errorem putat falsum, cum tamen sit verum. Nam talis veritatem non immutat in effectu, sed solum affectu: & ideo non dicitur testari falsum, sed falso.

174. Tertio requiritur, ut per hujusmodi veritatis immutationem tertio damnum inferatur. Quare solus conatus nocendi non sufficeret ad poenam ordinariam, bene tamen, ut mitius & extra ordinem puniretur, ut censet Carpovius, per regulam generalem, quod conatus in delictis mitiore poena puniatur: quod tamen intelligendum est, nisi ob atrocitatem criminis lex expressè statuere, ut etiam conatus poena ordinaria puniatur.

177. Quæritur est, an Crimen falsi solum in illis casibus committatur puniendum ex lege Cornelia, qui expressè in lege norantur. Affirmate videtur Fatinae. De falsis, & simul. g. 150. n. 7. dicens: Falsum strictè sumptum dicitur illud tantum, quod incidit in aliquod caput legis Corneliae de falsis. Quicumque tamen sensus sit horum verborum, respondetur negativè. Nam ut bene observat Carpovius, si hoc verum esset, deberet hoc in ipsa lege exprimi, ut ad nullam casum extendatur, nisi in lege notatum. Sufficit ergo, intervenire tria requisita enumerata. Et casus qui in titulo ad L. Corn. de falsis ponuntur, exempli loco referuntur, ut ad eorum resolutionem alii non expressi solvi possint.

178. Quæritur I. Quanam sit poena Falsificationum. In Ordin. Criminali Carolina relinquitur arbitrio Judicis & prudentum, consulendorum, pro diversitate & gravitate delicti, ar. 112. Deinde ar. 113. fit aliqualis specificatio, sed non ultimata: dum dicitur Falsarius relegandus, vel virgis cadendus seu fustigandus, vel alia simili poena afficiendus pro qualitate delicti, sicut & a. 115. Sed neque in Jure communi aliqua uniformis poena præscribitur. Nam licet l. 1. §. fin. dicatur: Poena falsi vel quasi falsi deportatio est, & omnium bonorum publicatio, & si servus eorum quid admisit, ultimo supplicio affici suberit. Deportatio tamen hodie non est in usu, sed in ejus locum successit Bannum vel Relegatio. Deinde poena publicationis bonorum correctæ est in Auth. bona. C. de bonis proscriptis. Potest tamen hoc extendi quandoque ad manuum amputationem Jure Novellarum, & quandoque

etiam ad ultimum supplicium. l. 22. C. h. r. ibi. supplicio capitali si exigat magnitudo commissi, vel deportatione ei imminente.

179. Quæritur II. An, & quomodo possit committi falsum in Persona. Possit committi, quando in præjudicium tertii fingitur aliqua esse persona, quæ non est. v.g. quando mater aut obsterix supponit falsum partum in præjudicium legitimi hæredis; & hujus delicti poena est capitalis, saltem Deportatio, vel aliquibus locis fustigatio. l. 1. C. h. r. [Si patris subjecti crimen diversè parti objicitis, causa capitalis in tempus pubertatis pueri differri non debuit.] atqui, ut supra diximus, deportatio est etiam poena capitalis, ergo per hanc huic legi satisficit. Item si quis fingit personam alicujus facientis testamentum, qualem casum retuli ex Julio Claro in tract. de Testamentis. Item si quis nomen suum mutat in præjudicium tertii, v.g. assumit nomen sui fratris natu majoris, ut legatum consequatur, vel dicit se esse alium, cui similibus est in forma, & qui fortè jam est defunctus, & sic facit se hæredem, exclusus aliis legitimis hæredibus. Item si quis falsos titulos aut alicujus nobilis familie insignia assumit, vel absolute cum sit homo plebeus, fingit se Comitem (prout hic Ingolstadt quidam filius Camineute se inter Illustres diu Comitum gessit, donec superveniens pater larvam detraxit.) De his est lex 13. ff. h. r. Falsi nominis vel cognominis ad veritatem poena falsi coercetur. l. 1. 27. §. fin. eod. Qui se pro milite gessit, vel insignibus illicitis usus est, vel falso diplomate vias commisit, pro admitti qualitate gravissimè puniendus est. & ideo in lege un. C. de mutatione nominis, dicitur, licitum esse mutare nomen, si nulli inde præjudicium futurum est. Item qui se fingit Doctorem, & creat deinde alios, vel exercet alios actus Doctores in præjudicium aliorum, v.g. qui se fingit Comitum Palatinum, & creat Notarios, legitimat Spiritos, adeoque cum præjudicio tertii: (nam absque hoc est mendacium parum.) Huc etiam pertinet, quando quis semel baptizatus iterum se baptizari facit, ad lucrandum honorarium à Patrio dari solitum: hujusmodi Virgis cedi & perpetuo relegari potest.

180. Quæritur III. An & qualis Falsitas committatur Verbis. Quando falsum dicitur cum læsione injulta proximi, v.g. falsum testimonium dicendo, vel nolendo dicere verum testimonium, quando de jure deberet dici, ex quo damnum grave proximus patitur, aut periculum patiendi creatur, quibus adnumerantur Advocati, quando de corrupti permittunt, l. 1. juncto §. 1. ff. h. r. Poena legis Corneliae irrogatur ei, qui falsas testificationes faciendas, testimonium falsum inspicendo dolo malo conjecerit.

Item

Item ob instruendam advocacionem testimonium pecuniarum accepit, pactusve fuerit, societatem coërit, ad obligationem innocentium, ex Senatus consulto coercetur. Et lege 20. eod. [Falsi poena coercetur, & qui ad litem instruendam advocacione, testibus, pecuniam acceperunt, obligationem, pactiorem fecerunt, societatem inierunt, ut aliquid eorum fieret, caveant.] Neque requiritur ut effectus intentus, hoc est, alterius damnus actu sequatur. Hoc enim lex non requirit. Quod si ex falso testimonio aliquis ad mortem damneretur, tunc falsarius ut proditor & homicida puniretur, ut asserit Carpovius n. 46. (& habetur expressè in l. 1. §. 1. ff. ad L. Corn. de falsis. ibi. quive falsum testimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damneretur.) Qui etiam advertit, quod in adductis Juribus per Advocatos intelligantur Procuratores, seu Prævaricatores, qui dolo malo pro diti causa clientum suorum, sive civilis, sive capitalis fuerit, adversam partem adjuvant, proprias probationes dissimulant, causam adversariis donant, falsas exceptiones, probationes etc. admittunt, & sic se vinci patiuntur, cum ipsi vincere possent. De his eorundem poena exprimit a. 115. Ordin. Crimin. Carolinae, statuens, ut Clientibus jacturam omnem, quam passi sunt, & omne comodum, quantum eorum intererit, restituerentur, ad quod etiam jure nature tenentur, ac insuper perinde ut falsi testes, arbitrariè, fustigatione, carcere, numellis, aut relegatione plectantur.

181. Dubitatur est I. An Testis dicens veritatem, & ad eam dicendam pecuniarum conductus ex pacto, incidat in poenam falsi. Quod talis in rei veritate non committat crimen falsi, videtur evidens ex definitione illius, quia nullam veritatem immutat. Nihilominus tamen talen incidere in poenam falsi, statuunt Interpretes communi calculo, quia etiam talis delinquit, præsertim si perjurium in judicio commisit, quia juravit, se non ob acceptam pecuniam testimonium diciturum. Accedit Ord. Carolina a. 64. dicens: [Conducti testes mercede rejiciantur, nec admittantur, sed puniantur.] Mitius tamen quam falsum dicentes, aut veritatem tacentes. Præterea merito puniuntur malitia, quæ se ostendit non diciturum veritatem, nisi accepta mercede: ergo jam habet paratum animum ad veritatem immutandum suo silentio. Et hoc etiam videtur sibi velle textus l. 1. §. 2. ff. h. r. [Sed & si quis ob remittendum remittendum testimonium, dicendum NB. vel non dicendum, pecuniam acceperit, poena legis Corneliae afficitur.] Itaque licet talis non sit in rei veritate falsarius, non est tamen novum in jure, ut diversa delicta puniantur pari poena. Sic etiam

ille testis qui pecuniarum corruptus non accedit ad Judicium, propriè veritatem non immutat dictis, & tamen poenam falsi coercetur, ut patet ex textu jam allato.

182. Dubitatur est II. An aliqua poena plectendus sit ille, qui cum extrajudicialiter aliquid dixisset, postmodum in Judicio contrarium cum veritate attestatus est. Communitè non quidem esse puniendum poena legis Corneliae, sed tamen tanquam mendacem esse puniendum mitiore poena: saltem (ut ego arbitror esse limitandum) si ex illo mendacio aliquid in commodum parti creatum est, & hoc ille potuit pravedere: secus enim non puro esse puniendum, quia jura non puniunt mendacia officiosa non damnosa. Idem dicerem de eo, qui in judicio mentiretur aliquid extra capitula & articulos de quibus interrogaretur, dummodo talia sint, quæ sive vera sive falsa sint, nemini nocent.

183. Ex dictis proportionaliter idem dicendum de Judice malitiosè falsam sententiam ferente; non minus enim quam corruptus poena legis Corn. tenetur, l. 1. §. 2. ibi. Et qui judicem corruerit, corrumperendum vè curaverit. Sed & Judex constitutiones Principum neglexerit, puniatur. Simili modo Notarius puniendus esset, & defacto Scabini Lipsienles poenam temporalis relegationis dicitur Notario, qui consensum, super peracta judiciali datum, dolo ac in fraudem creditoris ex archivo judiciali furripuerat, & amoverat. Quomodo autem & quando Judex ex lege Julia repetundarum coerceri possit, & quæ munera illi liceat accipere, dictum est, ut præcedente.

184. Quæritur IV. An, & quomodo scripturæ possit committi crimen falsi, ad incidendum, in poenam legis Corneliae. De hoc exstare varias leges, imprimis §. 7. Inst. de publ. Jud. [Item lex Cornelia, quæ etiam testamentaria vocatur, poenam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpsit, expresserit, sciens, dolo malo. Ejusque legis poena in servos ultimum supplicium est, in liberos verò Deportatio.] Deinde lex 16. ff. ad L. Corn. de falsis. [Instrumentorum subreptorium crimen non esse publici Judicii, nisi testamentum alicujus subreptum arguatur. Paulus respondit, legis Corneliae poenam omnes teneri, qui etiam extra testamenta cetera falsa signaverint. Sed & ceteros, qui in rationibus, tabulis, litteris publicis, aliisve aliquo sine consignatione falsum fecerunt, vel ut verum non appareat, quid celaverunt, subripuerunt, subjecerunt, resignaverunt, eadem poena affici solere, dubium non esse.] Subintellige, si

N 2

sequat

sequatur damnus alterius. & l. 23. Si qui alienum chirographum imiter. l. 25. eod. [Qui nomine Prætoris literas falsas reddidit, edictumque falsum proposuisse dicitur, ex causa, actione in factum penali tenetur, quamquam lege Cornelia reus sit.] Et a. 112. Ord. Crim. Carol. idem statuitur. Ex quibus Juribus inferunt DD. crimen falsi committi, falsa componendo, dictando, in mundum redigendo: item Instrumenta, Registra, Rationes, Acta, Libellos, Contestationes, Cautiones, Chirographa, Epistolas, scilicet & dolo malo in fraudem alterius lædendo, corrumpeudo, mutando, adficiendo, demendo, radendo, delendo, abolendo, falsè subscribendo, falsa sigilla appendendo, aliorum chirographa imitando, nomine Magistratus falsas literas aut rescripta proponendo, annulum adulterinum suspendendo, etiam si non iple sed alius utatur. Denique qui literas alienas resignant, falsi penam tenentur, lege. l. §. 5. eod. Si qui aperuerit viri testamentum, legis Corneliae penam tenetur. Unde à Scabinis aperientes literas alicujus Principis, fustigatione, aliquando penam 100. Thalerorum puniuntur.

Huc etiam pertinent Mendici illi, qui expositis mendacibus literis corrogant stipem, quasi incendio aliore infortunio gravi damna passi sint, qui penam fustigationis aut perpetuæ relegationis puniendi sunt, nullâ habita ratione, quantum emendaverint, modo aliquid notabile lucrati sint. Illi verò qui vulneta & morbos fingunt, reclusi inter Stellationes ac Impostores numerantur, vel cum Damhaudero inter fures, sed improprie.

185. Quartitur §. An, & quomodo committatur crimen falsi abusu. 2. Illos dicitur abusu committere crimen falsi, qui falsitatem committunt fallacibus mensuris, ponderibus, bilanciis, stateris, speciebus per admixtas metes corruptis, qui puniuntur duplo, & insuper Relegatione. l. 32. §. 1. ff. h. t. Si venditor mensuras publicè probatas, vini, frumenti, vel cuiuslibet rei, aut emptor corrupit, dolo malo fraudem fecerit, quanti ea res est, ejusdupli condemnatur: decretoque Divi Hadriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera aut mensuras falsassent. Verum, inspectâ Ord. Crim. Caroli V. & consuetudine Germaniæ, pena horum est arbitraria: nempe vel relegatio vel fustigatio, vel similis, secundum qualitatem delicti. Et quamvis Carolina ar. 117. videatur collectivè requirere, ut corrumperint mensuram, & ijs abutantur, reverè tamen sufficit, alterutrum esse aliquem reum, ut pro indubitato supponit Carpovius.

186. Ad hanc classen falsitatum reducit Harpprecht n. 32 & seqq. eum, qui sciens & dolo malo falsis testimonijs, vel falsis ab alio fabricatis

instrumentis utitur. Hoc tamen interest inter componentem falsum instrumentum, & inter utentem: quod ille in ordinariam legis Corn. penam incidat, hic verò extra ordinem mitiore penam coëreatur.

187. Aliud discrimen inter illos notatu dignum est, quòd is qui falsum instrumentum dolo malo fabricavit, falsi penam non evitet, quantumvis eo instrumentum usus non fuerit, & quantumvis promittat se deinceps usurum non esse: contra verò ille, qui instrumentum falsum ab alio factum produxit, eoque uti cœpit, à falsi penam liberetur, si penitentia ductus ab usu ejus instrumenti desistat, eique planè renuntiet, per legem expressam 8. C. hoc tit. [Si falsos Codicillos, ab his contra quos supplicis, factos esse contendis, non ideo accusationem evadere possunt, quòd se illis negent uti: nam illis prodest instrumenti usui abstinere, qui non ipsi falsi machinatores esse dicuntur, & quo periculo solus usus adtrinxerit. Qui autem compositis per scelus codicillis in severitate legis Corneliae incidantur, non possunt defensiones ejus, recusando crimen, evitare.]

188. Dubitatum est, quid præsumendum sit de utente instrumento falso, sed ab eo non confecto, an inquam præsumenda sit scientia falsitatis, adeoque dolus, vel potius an præsumenda sit ignorantia. Aliqui absolute & indistinctè affirmant esse præsumendam scientiam & dolum. Ità Ruin. conf. 86. lib. 4. fore quia ita expediebat ipsius Clienti quem illo consilio defendit. Respondendum est cum distinctione inter factum proprium & alienum. Si super facto proprio quis usurpet falsum instrumentum, vel aliam probationem falsam, præsumitur dolus, quia quisque præsumitur factum suum non ignorare. Quando verò quis usurpat super facto alieno, quod potest inculpabiliter ignorare, præsumitur etiam falsitatis ignorantia, donec scientia probetur.

Obijcit Ruinus. Actor præsumitur accedere ad Judicium paratus & instructus: ergo etiam præsumitur scire factum alienum. Respondet Harpprecht, hanc præsumptionem non procedere, si præsumptio ad delictum inducendum tendat. Verum, hæc est petitio principii. Aliter respondeo, Actorem satis paratum accedere, si habeat magnam probabilitatem, licet fallibilem de facto alieno, nec requiri evidentiam, qualem quis habet de facto proprio.

De Falso quod committitur in corruptione Monetæ, vide infra, verbo. Monetæ falsa.



## Famofus Libellus seu Pasquillus.

## S V M M A R I V M.

Definitio Libelli famosi. 89.

Quomodo puniantur Typographi, Sculptores, Pictores. 190.

An liberetur à pena adscribens suum nomen. 191.

An debeat esse falsum quod in libello continetur. 192.

An infamato competat etiam actio ad penam rationis. 193.

Quomodo differant Scriptum injuriosum, & Libellus famosus. 194.

An actio famosi libelli solùm duret per annum. 195.

An Pictura infamans veniat nomine famosi libelli. 196.

An delictum hoc fit publicum vel privatum.

DE hoc egi tomo I. de Jure privatorum. tit. 2. contr. 8. §. 6. quibus, si aliquid addendum occurrerit, hic addemus. Ibi ergo dixi. 1. Quid veniat nomine libelli famosi. 2. An puniatur famosus libellus, qui famosum libellum nec composuit, nec publicavit, sed descriptit. 3. An ut auctor puniendus sit, qui famosum libellum, ab alio compositum sed non publicatum, aliis ostendit. 4. Quæ sit pena componentium libellum famosum, per Ord. Carolinam. à 34. & Jure Bavarico. Hæc ibi videnda. Nunc addo sequentia.

189. Carpovius definit libellum famosum hoc modo. Est compositio in scriptis facta ejus, quod auctor probare non vult, ad infamiam alicujus in publico loco, occulto nomine affixa. Vulgò appellatur Pasquillus, à Pasquillo Sartore Romano, qui aliorum vitia liberè vellicare solitus erat, qui cum moretetur prope tabernam in urbe Roma, statua ejus marmorea, gladiatorio habitu erigebatur, quæ populati joco Pasquillus vocari consuevit, ad indicandum quod ibi Pasquillus Dicitur Magister habitaverit. Huic statua solent de nocte scripta injuriosa & malefica affigi, & inde Pasquilli nomen vendicant. Theatr. vitæ hum. vol. 21. lib. 3. V. Pasquillus.

190. In varijs Imperii Recensibus, quos refert Carpovius q. 98. n. 11. Typographi, Sculptores, & Pictores, libros famosos Sculpturas & picturas, in religionis alicujus, vel etiam privati hominis detestationem & infamiam, typis imprimere, facere, & divulgare in Imperio Romano Germanico prohibentur, contravenientes confiscatione libellorum, & amissione po-

testatis excudendi libros, aliæque penæ arbitraria puniuntur, vel certe puniri debent.

191. Occasione tamen Recensis Imperii Francofurt. de anno 1577. nascitur dubium, an hodie liberetur à pena Pasquillantium, qui suum nomen adscribit libello famoso, ibi enim dicitur: sive auctor nomen suum apposuerit, sive non, ergo non liberabitur, quod tamen est contra Definitionem relatum ex Carpovio: & ita sentiant plures AA. relati ab Harpprecht.

Verum, contrarium videtur haberi in Ord. Criminali Carol. a. 110. ibi. Et se secundum legem Ordinationes suo proprio nomine & cognomine non subscripserit. Ad recessum allegatum responderet Carpovius, ibi non solum de famosis libellis proprietatibus, sed etiam de omnibus aliis injurijs & contumelijs scriptis agi, dum dicitur: vel aliusmodis, quomodocunque scriptum nominetur, & de his dicitur, nihil interesse, sive nomen suum apposuerit sive non. Item Harpp. & Gilschius n. 2. non improbabiler interpretantur Carolinam, eam loqui de illa subscriptione, quæ fit secundum ordinem Juris in Judicio ab accusatore, qui crimen aliquod adversus alterum intonat: adeoque dicitur: qui crimen falsum & famosum scriptis alteri impingit, penam capitali plectendum esse, nisi crimen illud libello judicialiter portecto, accusatoris nomine in Judicio deducat, & secundum ordinem Juris se subscribat. Itaque neuter adductus textus satis convincit. Communiter tamen famosus libellus non habet subscriptum nomen, & ideo quaestio hæc non habet magnam utilitatem.

192. Quartitur I. An ad incurrendam penam pasquillantis, necesse sit, ut id quod in libello famoso scriptum est, falsum sit. 2. Affirmativè, ita tamen, ut si verum sit, arbitraria penam puniendus sit infamator, si crimen non judicialiter exposuit, & manifestavit boni publici causâ. Colligitur ex ar. 110. Ord. Crim. Carolinae. ibi. Et quamvis infamatus imputari criminis veritate nitatur, nihilominus publicator criminis arbitrio Judicis & secundum Jura puniendus est.

193. Quartitur II. An illi, qui per famosum libellum læsus est, competat alia actio præterquam actio famosi libelli, ad penam rationis. 2. Competere illi actionem injuriarum ad recantationem & penam injuriarum arbitriam, & potest eligere quam voluerit. l. §. 9. ff. de Injurijs & famosis libellis. [Si quis librum ad infamiam alicujus pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolo malo fecerit, quod quid eorum fieret, etiam si alterius nomine ediderit, vel sine nomine, uti de ea re agere liceret, & si condemnatus sit, qui id fecit, intestabilis ex lege esse jubetur.]

194. Quartitur III. Quomodo differant

Scriptum injuriosum, & libellus famosus. *g.* Differre tanquam genus & speciem. Nam omnis libellus famosus est scriptura injuriosa, sed non e contra. Hujusmodi enim, ut jam supra dixi, est injuriosum scriptum, & non libellus famosus, quando nomen subscriptum est. Deinde, etiam si nomen non sit subscriptum, non erit tamen libellus famosus, si non imputetur alicui aliquod delictum ab eo commissum, sed obijciatur aliquis defectus naturalis, v. g. vocando spiritum, cæcum, claudum, delirum, stuporem, asinum &c. quæ non sunt crimina.

195. *Queritur IV.* An actio famosi libelli solum duret per annum, sicut actio injuriarum verbalium. Negat Zasus, & Gail lib. 2. obs. 104. Magis mihi placet affirmativa sententia, quam aliis relatis tenet Fachineus lib. 9. c. 9. Ratio est, quia injuria scripta est virtualiter verbalis.

Obijciunt. Scriptura est perpetua & semper manet, & consequenter est realis, adeoque etiam actio erit perpetua. Negatur antecedens, nam hujusmodi scripturas jubet lex corrumpi & comburi. Sed de hoc memini me jam supra monuisse. Constitutiones Principum jubentes, ut hujusmodi actiones sint perpetuæ, esse laudabiles, etiam consentiente Fachineo, quia nimia hominum proclivitas ad injuriandum, meretur, & requirit, ut hujusmodi severitate coerceretur, & frano cohibeatur.

196. *Queritur V.* An pictura infamans, hoc est ad infamandum aliquem facta, libelli famosi nomine veniat. *g.* Affirmative, & colligitur ex l. 1. §. pen. ff. h. r. ibi. *Aliudve quid sine scriptura in notam aliquorum produxerit.* Et habetur etiam in Receptis Imp. Aug. 1530. & 1548. & aliis apud Harpprecht. n. 152. ubi etiam idem dicitur de sculptis aut fusorio opere in alienas infamiam confecto, aut in publicum prolato. Quod tamen, juxta paulo ante dicta intelligendum est, si per talem picturam aut statuam exprimat aliquod delictum, nec enim sufficeret si aliquod vitium corporis, aut alicujus nationis exprimeretur.

197. *Queritur VI.* An delictum famosi libelli sit Publicum, an Privatum. *g.* Cum Harpprecht n. 211. esse privatum. Ratio est, tum quia ut superius diximus, illa sola sunt Delicta publica, quæ in Jure expressè Publicis annumerantur. Atqui hoc delictum potius privatis annumeratur, tum in §. 1. J. de Injuriis, tum in Digestis, ubi titulus est: *de Injuriis & famosis libellis.* Tum denique in Codice titulus de famosis libellis statim subjungitur titulo de Injuriis. Verum tamen est, quod reus possit à quovis de populo accusari. Haec tamen non esse regulam publicorum Judiciorum, supra ostendi per alias instantias, quibus & hæc accedit.

## Fornicatio, seu Scortatio & Concubinatus.

### SVMMARIVM.

*Quomodo hoc loco Fornicatio sumatur.*

*Quo jure sit prohibita simplex fornicatio.* 199. *An Clericus fornicarius sit deponendus, vel solum suspendendus ab exercitio.* 200.

*Quam dicatur Concubinarius.* 201.

*Quenam condiciones requiratur.* 202. *Et seqq.*

*Quibus penis afficiatur.* 203. *Et seqq. ubi referuntur Decreta Triad. Concilii.*

198. Fornicationis nomen aliquando sumitur generaliter pro omni damnato coitu. damnato, inquam, non solum jure civili (quod jure strictius sumitur, ut dixi agens de Illegitimis) sed saltem jure canonico. Cujus species nimis inordinate & diffusè refert Julius Clarus, melius Farinacius q. 137. n. 3. Fornicationem simplicem, Concubinatum, Stuprum, Adulterium, Sodomiam, Incestum, Sacrilegium, & Raptum. Verum hoc loco strictius sumitur.

Fornicationis nomen censetur derivatum à fornicibus in quibus se prostituunt meretrices, hoc est, locis obscuris, & inde dicebantur fornicari.

Fornicatio ergo simplex est concubitus soluti cili soluta, & ut distinguitur à Stupro, debet feminina non fuisse virgo, ut habetur sub canone 2. ca. 35. q. 1. ibi. *specialiter intelligitur in usu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.* Item ut alias species, ut incestum & sacrilegium, excludat, debet abesse vinculum consanguinitatis, affinitatis, Ordinis, Voti.

199. *Queritur I.* Quo jure sit prohibita simplex Fornicatio. *g.* 1. Jure Civili communi nulla pena illi delicto constituta est, ut tradunt unanimi consensu Interpretes. Jure Bavarico est constituta pena arbitraria. *L. R. Tit. 9. ar. 19.* qui sic habet. [Quamvis sepe contingat, ut personæ solute suæ amborum petulantia & libidine, absque vi vel subdola seductione fornicentur, nolumus tamen hujusmodi libidinem, præsertim quod ruri inter rusticam plebem valde invaleat, impunitam relinquere, sed Magistratibus jubemus, ut exemplariter puniantur: & quamvis Injuriis adus sepe fiant præcedente promissione matrimonii, nihilominus non debet penitus manere impunitus.]

*g.* II. Jure Canonico Fornicatio quidem læpius

læpius tanquam illicita prohibetur, sed circa læcos non reperitur pena aliqua constituta, quamvis cum Claro dicendum sit, esse penam arbitrariam.

200. Quoad Clericos in Sacris constitutos, & qui hoc ipso habent annexum votum Castitatis, quamvis non pauci Canonistæ doceant, talem ob fornicationem esse deponendum, hoc tamen nullo Jure probant. Nam quod adducunt cap. 9. de atate & qual. & ord. pref. solum dicit, eum qui non vixerit castè, non esse promovendum ad Episcopatum. Quare communissima est sententia, fornicarium Clericum solum suspendi ab exercitio Ordinum, nisi esset enormis fornicatio, ut limitat Julius Clarus, vel si esset incorrigibilis, ut alii limitant, quibus tamen videtur adversari cap. 6. de cohabit. Cler. & Mulier. [Si autem Clerici tuæ Jurisdictionis (sive in Sacris ordinibus sive in inferioribus constituti) fornicarias detinent: nisi eas ad secundam vel tertiam admonitionem à se dimiserint, easdem de cætero contempturi, liceat tibi eos Ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliate, officio illis nihilominus interdicto.] Ex quo textu colligit Abbas, quod incorrigibilis possit solum beneficio privati. Verum, in his attendenda sunt specialia Decreta diocesana, quia ex Jure communi vix aliquid certi haberi potest, quandoquidem Canonistæ adeo diversimodè statuunt, quisque pro suo Zelo vel arbitrio, potius assignantes, quid statuendum esset, quam quid statutum sit, ut videre licet apud Farinacium, qui nec ipse aliquid certi concludit, sed contentus est varias opiniones Auditorum retulisse. Fagnanus etiam dicit in cap. non debet de consang. & affin. olim quidem ob simplicem fornicationem de rigore depositum fuisse non tantum Clericum, sed etiam Episcopum, sed hodie ob simplicem fornicationem non fieri depositionem (ob capit. citatum & relatam) nisi sit notoria vel scandalosa, aut diu continuata: pro quo citat cap. 9. de Excessibus Prælat. Sed in hoc capitulo non dicitur esse deponendus, sed suspendendus ibi. *prædicti clericus ab officio & beneficio suspendere non possunt.* Et hæc de Simplici fornicatione.

201. Quod ad Concubinatum attinet, strictè concubinarius dicitur illi, qui solutam retinet, & cum ea habent consuetudinem carnalem, eodem affectu ac modo, ac si sua esset uxor. Ità Farinac. q. 138. n. 2. ubi examinat plurima requisita ad Concubinatum strictè dictum, ad hunc effectum, ut illi inde nari dicantur naturales, & per subsequens matrimonium legitimentur, suoque patri in certis uncis à Jure statutis succedere possint, & talis concubina de Jure civili impune retineri possit. Verum, videmus, an ea condiciones rectè requirantur.

202. Prima conditio. Ut simul cohabitent diutine, & sint commensales. arg. l. 144. ibi. *que cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: quam nunc vero nomine amicam, paulò honestiore concubinam appellari.*

Secunda. Ut simul carnaliter commisceantur ex consuetudine: nam unus vel alter concubitus non argueret concubinam.

Tertia. De Jure civili requiritur, ut eam in domo retineat, ad hoc ut per subsequens matrimonium filii legitimentur: hoc tamen Jure Canonico non requiritur. Unde Clericus dicitur Concubinarius, quando in aliena domo feminam habet, cui solet commisceri, & in vicinia sit diffamatus, quod est conforme Concilio Tridentino sess. 25. c. 14. de reform. ibi. [Prohibet sancta Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin penis à SS. Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.] Hinc etiam Jure Canonico legitimentur filii ex muliere extra domum retenta, ut alibi dictum, & hæc non pertinet.

203. Quarta. Ut inter tales possit esse matrimonium, alioquin vel erit adulterium, vel incestus, vel sacrilegium, vel ex alio impedimento dirimente ad aliud genus delicti spectabit. Sed si hæc conditio requireretur, Clerici non possent habere concubinas, quando sunt in Sacris constituti, quod est falsum.

Quinta, ut non sit virgo. Verum, nec hæc Conditio utiliter ponitur. Nam prima dehortatio utique non est concubinatus, sed stuprum, deinde per consuetudinem cum cæteris requisitis evadit concubina.

204. Sexta, ut mulier teneatur loco uxoris, animo illam ducendi, si inde prolem habeat, & sic in concubinatu debet esse studium querendæ posteritatis, non autem ad implendæ libidinis. Sed hæc conditio nullum locum habet in Clerico, nec Jure Canonico requiritur.

Septima, ut diligatur à viro & honoretur sicut uxor, nec ab uxore aliter differat, quam in dignitate. Verum, hoc est confundere concubinam cum vera uxore, quæ potest esse (ubi valent matrimonii clandestina) etiam non ducatur cum solennitate. Similiter impertinentes sunt reliquæ condiciones à Farinacio posite, ut, quod sit unica, & indubitatus affectus, ut sit publice agnita à propinquis & vicinis, ut gerat habitum concubinae, ut vir sit persona nobilis, aut magnus, mulier inferioris conditionis. Hæc inquam hodie non attenduntur.

205. Restat videndum, qualiter in Clericis & in laicis concubinatus puniatur. Et quidem